...tholomaeus.

Swiszkowicz Laurentius: Vita Bartholomaei Nowodworsii.

Leopoli. Ioan. Szeliga. 1626.

D.
M

S. Io
qu

M. L

In O
liga

VITA

Illuſtris & Magniſici Viri,

D. BARTHOLO-MÆI NOWODWOR-SCII à NOWODWOR.

S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitani E-quitis Melitenſis, Herois incom-parabilis.

A

M. LAVRENTIO SWICZKOWICZ, Philoſophiæ Doctore, Typis Mandata.

LEOPOLI,
In Officina Typographica Ioannis Sze-ligæ, ARCHIEPISCOPALIS Typographi,
Anno Dòmini 1626.

In Arma NOWODWORSCIORVM.



STricta rotunda docet duro quid fascia nexu?
Nil nisi virtutis clara trophea virûm.
Quos domus insignis NOWODWORSCIA *gignere sueuit,*
Arte & Marte graues, en tibi Sarmatia.
His vtinam vigeas, donec toto orbe ligantnr,
Omnia naturęq; irresoluta manent.

Generoso & Magnifico Domino

D. GEORGIO NOWODWORSKI

à Nowodwor, Equiti Polono, S. R. Maiestatis Secretario &c. Domino suo colendissimo.

M. Laurentius Swiczkowicz. S. & F. P.

A Magno in Republica nostra Polona viro, Magni BARTHOLOMÆI NOWODWORSCII Equitis Maltensis, Patrui tui, Generose Eques, vitam annis abhinc aliquot conscriptam, nunc typis vulgatam, offeramnè tibi meritò dubitare possum. Dissuadet vel illud maximè, nè dicatur mihi, alienam metis messem. Suadet porrò multiplex ratio. Inprimis verò, vt virtus superstes tanti herois ex vita sua magis clara orbi eluceat. Nam vt Lyricus vates,

Paulùm sepultę distat inertiæ
Celata virtus.

Deindè

Deindè, quia dulce est Academicis nobis, illius in Scholas Academicas magni & rari beneficij effusi meminisse; quod certè in Academia alma, omnium virtutum & sapientiæ vniuersæ optima parente,

Troica vincet
Secula, & Euboici transcendet pulueris annos.

Demùm tuus pro omnium proborum communi matre probatus animus, tuâ singularis in Academicos humanitas & candor, á me etiam id exigere videbatur, vt te ad castra in Rusiam proprijs impendiis properantem, aliquo itineris delicio exciperem. Sedenim nullum profectò conuenientius occurrit, quàm hoc Patrui tui Magni, Nepos Magne, illustris vitæ publicum monimentum. Nec publicum modò, sed omni quoq; ære, pyramide, tripode, obelisco, vel statuâ perpetuum magis. Illa enim corruisse & concidisse, sola autem literarum monimenta, quibus heróès diui & illustres viri antiqui illi viuunt, æternumq; viuent, mansisse conspicimus. Sola namq;

Dignos laude viros Musa vetat mori.

Hoc tu vt eo, quo amâsti viuum mortuumq; colis animo, tibi oblatum accipias, imitationeq; vitâ & factis præclaris feliciter ad viuum effingas, precor & exopto. Vale. LEOPOLI ex Musarum domo Metropol. Iulij 20. Anno Christi: 1626.

VITA

Illuſtris & Magnifici Viri, Dn̄i.

BARTHOLOMÆI

NOWODWORSCII, EQVItis Melitenſis.

BARTHOLOMÆVS NOWODWORSCIVS à Nowodwor, Ordinis Hoſpitalium S. Ioannis Baptiſtæ Hieroſolymitanorum Melitenſis Eques, Vir rari hoc ſęculo exempli, & ob præclara facinora dignus, quem inter magnos veteris æui Heróàs numeret poſteritas: Et cuius fidei ac virtuti omnes, ſi fieri poſſet, potentiſsimi orbis Chriſtiani Principes, vitæ & ſalutis ſuæ ſecuritatẽ committant, Anno reparatæ ſalutis humanæ M. D. C. XXIV. Iduũ III. Martij extremũ mortalis vitæ, immortalem adeptus, diem confecit. Huius mihi ſanè operæ precium videtur emeriti, per varias orbis partes militis, variâ fortunâ, multis caſibus & periculis

plurimis fortitudinis & generositatis documentis, insignem vitam, breuiter hîc describere, vt externi admirari non erubescant, nostri imitari contendant. Nec facilè credo fideliter id ab alijs scriptoribus præstari posse, cùm in arctissima, quæ mihi adhuc puero Paterna intercedit cum illo, amicitia ac intima familiaritate, & quotidiana cõsuetudine, vix ab eo impetrârim, vt vel succisiuis horis in deambulationibus nostris, inter iocos & sales totius vitæ suæ cursum mihi enarrârit, quem vt tunc negociatorio calamo annotauerã, ita & per transennam hic percurram. Summam tamen fortissimi viri modestiam, generosi plerunque animi comitem, non sine magna admiratione obseruaui: Nam quotiescunque vel cicatrices suas, quæ vbique in corpore apparebant, vel heroicum aliquod facinus mihi recensebat, rubore quodam suffundebatur, Venerandus senex, & hæsitando per sacra amicitiæ obtestabatur, vt coram alijs ea, quæ de se mihi retulerat, celarem. Antiquissimâ ille & clarissimâ in hac Republica NOWODWORSCIORVM gente, Patre AVGVSTINO de armis NALECZ, Matre ELIZABETHA Dorengouia in Prussia ortus, ac in prima pueritia patre orbatus, ineuntem ætatem apud Michaëlem, & Ianusium

Zaſlauienſes Duces exercuit in Ruſsia, Podolia, Wolinia, & Koſſacorum exercitu tyrocinia in re militari depoſuit, & iam adoleſcens, in aula Stephani Palatini tunc Tranſyluaniæ aliquot annos tranſegit. Sed cùm Stephanus in Regem Poloniæ eſſet electus, Nowodworſciũ penes nepotes ſuos Balthaſarum & Andream Cardinalem Batthoreos reliquerat. Quibus ille, vt linguæ Vngaricæ peritus, cùm in Poloniam iuſſu Regis ſe conferrent, interpres itineris & Dux fuit vbiq;. Dum verò integram cum dexteritate fidem Stephano præſtaret, in numerum Cubiculariorum receptus, in obſidione Pleſcouienſi adfuit: & à Rege è Moſchouitico bello redeunte cum ſupplemento legationis, & cum certis muneribus ad Philippouium (qui apud Selinum Turcarum Imperatorem legationem obibat) miſſus, Rigâ Conſtantinopolim in quindecim diebus aduolauit, & cum Philippouio poſteà rediјt. Mortuo Stephano Grodnæ, vbi aulæ ſecuritas & maieſtas iјſdẽ, vt viuo Rege, immunitatibꝰ & prærogatiuis gaudebat, Biedrzicium Nobilem virum, & Regium cubicularium, ob nonnullas rixas in duellum prouocatum interfecit; Et hâc patratâ cæde, honori, ac vitæ fugâ conſuluit. Sic ſeuerisſimarum legum metus, in uoluntarium quaſi exilium

NOWODWORSCIVM relegauit, quod illi posteà nominis comparauit immortalitatem. Ad arma enim natus & florente ætate vigens, lubẽs se omnibꝰ exercendæ rei militaris occasionibus per orbem Christianum obtrudebat. Francia tunc atrocissimo bello ciuili ardebat; illic NOWODWORSCIVS se contulit, & in prætoria cohorte Henrici III. qui in Polonia regnabat, aliquot annis morabatur. Honorificentissimus autem hic est apud Francos militiæ gradus, nec alijs facilè conceditur, quàm iuuentuti ex selectissimo nobilitatis flore selectæ. Nowodworscius tamen hunc adeptus honorem, ob recentem Regis in gentem nostram grati animi memoriam, in oppugnatione Pontesinensi virum se præstitit, & pixidis globo in crure, ipso Rege inspectante transfixus, pecunia ab eo liberaliter fuit donatus. Henrico nefario scerelati sicarij parricidio interempto, Henricus alter Nauarrę Rex, qui primum ac proximum imperij ius prætendebat cum gente Guisiana, & eorum factionis coniuratis in suam perniciem, Catholicis Principibus, periculosissimis bellis Franciam implicauit; Et hic Nowodworscius virtutis segetem nactus Catholicorum sequebatur partes in omnibꝰ, quæ notabiles numerantur, obsidionibus, oppu-

gnationibus, velitationibus, ac iuſtis prælijs, plurimis acceptis vulneribus, & ſæpiùs de vita periclitando, animi ſui vigorem & alacritatẽ teſtabatur. Conflantij verò à Guiſianis in præſidio relictis, eâ fide ac dexteritate obſidenti cum numeroſo exercitu Henrico reſtitit, vt fame ipſa coactus honeſtiſsimis & æquiſsimis conditionibus Caſtellum (quod Henric9 non ſine ſudore & ſanguine aliquot ſeptimanis obſidebat) tradiderit. Cùm verò & in hoſte virtus ſit laudabilis, ſummo in honore Nowodworſciũ habuit magnanimus Rex, & poſteà abſentis virtutem luculentiſsimo teſtimonio publicè prædicabat, quotieſcunq; ſe obtulerat occaſio, de vita & ſtatu eius curioſè ac ſollicitè inquirebat; quod & mihi Lutetiæ Pariſiorum degenti aliquoties ab ipſo audire contigit. Summâ conſtantiâ Catholicorum caſtra ſequebatur Nowodworſcius: & dum Henricus Caluinæ ſectæ abiectis erroribus, in gremium ſe veræ Eccleſiæ contulerat, in eius quoq; & ille partes tranſijt; & reliquis tam ciuilibus, quàm in Allebrogico & Ambienſi bellis, fidelem ſemper cum maxima nominis ſui gloria præſtitit ei operam. Tandem per ſeptemdecem annos vtramq; belli fortunam expertus, & omnes militiæ gradus adeptus, altâ iam pace in Francia flo-

rente, Maltam nauigauit ;vbi exercitatissimorũ militum, nobile in orbe terrarum esset seminariũ, & armorum tractandorum non vulgaris officina: Nec ibi tamen ignobili delitescebat Nowodworscius ocio: sed quotiescunq; Equitum Melitẽsiũ classis excurrebat, officio suo minimè defuit, imò Lepontũ in Africa munitissimum Turcarum propugnaculum proprio expugnauit Marte, profundâ & cæcâ nocte, admotâ ad vrbis portas bellicâ certâ machinâ puluere plenâ, cuius in Hungaria ad Iauerinum primus vsus Christianis fęlicissimè successit. Magnum indè religioni suæ attulit ornamentum; Sed non minùs & charissimæ Patriæ ac vniuerso Septemtrioni; quòd tales Heròas producat, qui in extremis æstibus, & ipsum meridiẽ victrici depopularentur manu. Non his tamen terminis gloriæ, quo ardebat, studium continere voluit; mox aliam rei benè gerendæ natus occasionem ad Machometem in Africa vrbem, graui vulnere ibi accepto, præclarũ virtutis suæ, admirantibus hostib⁹ edidit specimen: Octo integris annis Melitæ detinebatur. Melitensium Equitũ Sacro suscepto ordine, cum summa in re militari laude, & maxima Christiani orbis parte peragrata, perpetratã in hac Repub: Biedrzicij cædẽ iam se expiâsse existimabat: reuersus in Poloniam in

aula

aula Sigiſmundi Regis cõmorabatur, quem ille in bello primo Moſchouitico copijs ſui cuſtodiæ admouerat, & Prætorianæ Germanorum cohorti peditum præfecerat, plurimùm in Smolẽſciana obſidione cõſilio atq; opera eius vſus. Nec id infeliciter ei ſucceſsit, & primò eadem bellicâ machinâ, quâ ad Lepontum in Africa rem benè geſſerat, Kopicinianã Smolenſcij portam effrẽgerat, & iam Rex potitus arce eſſet, ſi Marcus Przeluſcius cum ſuis Hungaris victoria vti ſciuiſſet, vel potiùs voluiſſet: Poſteà tamen Nowodworſcius obſeruato ad mænia facili aditu, per paludem fætidam certâ mẽſurâ & arte, impletis puluere ſaccis, illam ad cloacam muri partem magno & terribili impetu diſiecit, primuſq; omnẽ militibus noſtris aditum in Smolenſcum patefecit. Wilnę à Rege ipſo per Doroſteiũ Marſchalcum ſupremũ M. D. L. publicè actæ illi ſunt gratiæ, & aureus torques Regiâ manu collo appenſus, pro honorario & tantæ virtutis præmio fuit. Nec ſilẽtio præterire poſſum ſingulare excelſi illius animi exẽplũ, quod præterito ãno pæſtitit, ſũmo & Reipub: bono, & poſteritatis cõmodo. Nam è militari ſuo peculio in alma Academia Cracouieñ: NOWODWORSCIANO Collegio nomen & reditum dedit, vt quotannis ex Palatinatu Pomera-

niæ districtu Tucholień. vbi ille est ortus, alerentur Studiosi, qui literis nauarent operam, nobiles & plebeij Catholici, & Magistri, qui alios docerent. Ibidē Officinâ Typographicâ, quæ veterũ ac recētiũ Academicorũ libros ederet, fundatâ, sũmum sibi iure merito in hoc inclyto nomē comparauit regno. Ad vltimũ tandem eius vitæ, ab omnibus colebatur viuida eius & minimè morosa senectus, corporis valida constitutio, sũmaq; agilitas, admiranda animi generositas, ingenium igneũ, solidũ iudiciũ, sermo Laconicus, consiliũ in rebꝰ bellicis prōptũ, vigilātia singularis, & plusquā iuuenilis alacritas, laboris æstus, inediæ rara in prouectioris ætatis homine tolerātia, gestꝰ placidissimi, leporũ & saliũ in cōuiuijs elegantia, vultus semper hilaris, morum ipsa suauitas, & mera dulcedo. Quæ omnia, nisi homo esset, illum nunquā mori dignũ; sed in vtriusq; Reipub. ornamētum singulare perennare promerebantur.